

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Conradi Samvelis Schvzrfleischii Opera historica politica**

**Schurzfleisch, Konrad Samuel**

**Berolini, 1599 [i.e. 1699]**

LXXX. Char. Event. Ad Decid. III. Controu.

**urn:nbn:de:bsz:31-102564**

solum de potentia, sed etiam de animo vicini constare oportere, ut evidens sit ratio certitudinis, quae proposito huic congruit, et iustitiae sufficit, quae gentium societas velut vinculo colligatur.

LXXX. CHAR. EVENT. AD DE-  
CID. ILL. CONTROV.

CONTROV. I. De Regno Siciliae.

Henricus VI. Friderici AEnobarbi filius, Constantiam Rogerii ex Elvira uxore filiam, eamque legitime natam, et legibus sacri Vestalis Ordinis, quibus adstricta erat, solutam duxit, et hortante Coelestino III. Pont. Rom. permotus, regnum Siciliae obtinuit, Rogerio Tancredi nothi F. excluso.

**M**ultae quidem rationes sunt, quae svadeant, iustam esse Henrici VI. causam, nec vero desunt, quae pro Rogerio afferantur. Ab illis ordiamur licet inpraesens, ac velut in limine argumentum a iure per connubium legitimae filiae quaesito, et sanguine adeo forteque nascendi firmato repetamus. Non potest enim non potior esse causa, quae inter dissidentes praerogativa legitimae nati-  
tatis fulcitur.

§. II. Eo non fragili fundamento substructo pronunciemus, meliorem succedendi rationem pertinere ad Constantiam, ut vel sic omnes intelligant, legitimam Hohenstauffiae stirpis successionem hoc modo roborari.

§. III. Etsi vero marium sexus dignior potiorque est, tamen id valet, quatenus conditio succedentium par est, et eadem utrinque comparandi ratio manet. Sed hoc plurimum abest a Rogerio, quem natalium labe ab hac dignitate arceat, viamque ei ad successionem intercludit.

§. IV. Illud quoque extra controversiam est, regnum Siciliae esse foemineum, et, quod hinc sequitur, uxoris nomine possideri, acquiri, et transferri posse.

§. V. Accedit sententia Pontificis Romani, pro iure Henrici VI. pronuntiantis, ad quem ea res ex capite summi dominii pertinet, ut summi iudicis munere fungatur.

§. VI. Nec omittenda sunt facinora aliquoties patrata, et perfidia in sedem Romanam admissa, quod docent exempla Gvilelmi mali, et Tancredi, atque huius filii Rogerii, quibus adducti Pontifices Calixtus, Honorius, Clemens, et Coelestinus III. Normannos in Sicilia Principes vel sacris prohibuerunt, vel principatu mulctarunt.

§. VII. Tum Rogerius, invito Pontifice Romano, ad quem ea res spectabat, regium titulum sumpsit, nec modo Siciliae, sed etiam Italiae Regis nomen ambitiose usur-



usurpavit, cumque hoc deinceps intermitteret, non tamen adduci potuit, ut Regis Siciliae titulo abstineret. Id vero cum dolore et iniuria sedis Romanae coniunctum esse, nemo inficiari auit.

§. IIX. Facta superiorum Normannicae stirpis Principum non impediunt, quominus eorum successores ad iuris per vim ablati restitutionem teneantur.

§. IX. Etenim a Pontificibus, quorum ius in hac causa versatur, omni tempore contradictum est, quippe qui non solum non consensum interposuerunt, sed etiam publice, quibus potuerunt modis, inuasoribus aliena usurpantibus contradixerunt, atque eo minus aliquid successoribus nothis indulgere voluerunt.

§. X. Pro Rogerio facit, quod in veteri Italia non tam exquisita natalium ratio habita fuerit: tum quod pater, data ab avo venia, et nuptiis rite peractis, labem nascendi purgarit: quo factum sit, ut pater Ordinum regni suffragio capax regni iudicaretur. Nihil ergo ex hoc capere sibi posse obtendi, qui iure avito, et iudicio procerum nitatur: maioribus suis Sicilian bello quaesitam, sibi recta serie descendenti non posse auferri: Pontificem plus sibi sumere, quam par sit, dum regnum alieno labore periculoque partum habeat pro suo.

§. XI. Ratio decidendi petenda est ex veteribus tabulis, quae supersunt, atque ex historiae monumentis, quae extant, et in hanc rem afferri possunt. Equidem ius Pontificum in Siciliam nondum certum exploratumque est, et belli titulus, Ordinumque ac populi Siculi patientia atque consensus, Normannis proderant, nec inane ius dabant, quinimo Sicilia sub iugo Saracenorum periisset, nisi Normanni ad eam liberandam arma cepissent, Barbarosque eiecissent. Amplius quidam Pontifices Rogerio titulum Regis sumentis non contradixerunt, quidam veritate victi, controversiam hanc omnino non movendam putarunt. Inter hos *Coelestinus II. Lucius II. Eugenius III.* nominandi veniunt, quorum silentium iuris non agniti argumentum praebet; id quod eo magis valet, quum recordor, Innocentium II. Rogerio, Rogerii Bolli filio, nomen et insigne regium suscipienti, nequequam restitisse. Illud quoque sine studio et odio necesse est fateamur, totam hanc rem usque ad tempora Clementis III. negligentius fuisse actam. Inprimis huic causae proficit voluntas Henrici, cum Rogerio transigere cupientis, atque adeo aliquid habile et successionis dignum in eo reperientis et agnoscentis, quanquam Henricus postea non stetit pactis, et Rogerium spe concordiae, ac specie amicitiae circumventum regno privavit. *Vid. Thomas Fazellus*, scriptor ingenuus, et idoneis scribendi subsidiis instructus, atque in omnibus Siciliae tabulis apprimè versatus, quem Caesar Baronius praeter meritum acerbe reprehendit, perinde ac si de industria verum monarchiae Siciliae auctorem celasset, et *verisimilia eiusdem temporis scriptoribus consignata vel omnino non novisset, vel nosse dissimulasset. in tr. de monarchia Siciliae.* Fazellum contra defendit, et de obiecto hoc vitio purgavit *Marcus Antonius de Dominis lib. VI. cap. XII. de republica ecclesiastica.* Tum vero Fazellus ad tabularia, codicillos,



diplomata, decreta publica, et non subleſtae fidei annales, dato fidei et diligentiae ſpecimine, ſubinde provocat, ac nullius auxilii indigus, ſuam ipſius dignitatem tuetur. Accedit *Pandulphus Colleſenius*, homo pereruditus, et auctoritate gravis, ac Latinarum Graecarumque literarum gnauiter peritus, et quod hic caput rei eſt, iure conſultus Piſaurenſis, nec obſcure indicat, naſcendi labem fuiſſe purgatam, et adducit voluntatem ac ſententiam Ordinis equeſtris, Tancredum una voce et animo Regem poſcentis, declarantis et eligentis. *Hiſt. Neapol. lib. III.* Non praetermitto, quod *Felinus Sandeus*, etſi religione erga ſedem Pontificiam impeditus, fateri neceſſe habuerit, *Tancredum* a Proceribus inſulae fuiſſe electum; id quod accidit anno MCXXCI. *de Regibus Sicil. Cap. XII.* In quo negotio proceres utriusque Siciliae (cis et trans Farum) conſentiebant, et uno conſilio atque ſententia decernebant, *Tancredo* Regi ſe audientes fore, et exemplo admonebant, ei fidem obſeqvii deinceps obſtringi oportere. *Michael Ritiſ de Regibus Siciliae lib. I.* Qui regnandi artes ſola utilitate aeſtimant, facile pro Sicularum ingenio arbitrari poſſint, dandam fuiſſe operam, ut *Conſtantia*, priusquam *Henrico VI.* nuberet, a medio tolleretur, quod minus periculi haberet, quam ſi fax belli in tota Italia accenderetur. Ita enim plerisque viſum eſt, nec eos ratio fallendi deſtituit, cum pacem ſceleris conſilio praeferebant, apud *Fazellum decad. poſt. lib. VII. cap. 3.* At enim vero meliorum ſententia vincebat, et fiducia honeſtatis ipſa ſe aduerſus crudelitatem muniebat, atque inſiti affectus officiique paterni, ac divini atque naturalis iuris argumento ſaevitiam vetabat. Si de ratione evitandi periculi quaeratur, haec ſuppetebat, ut *Veſtaliſium* Ordini adſcriberetur. Qui modus etiam repertus, et *Conſtantia* in monaſterium abdita eſt, ſed ineluctabilis fatorum vis obſiſtebat incepto, cum Pontifex *Coeleſtinus III.* ſaceram iſtam virginem, religione voti ſolutam, et clam e monaſterio, cui praeerat, e ductam *Henrico VI.* deſponderet. Ita taedae illae fatales ad inflammandam incendio belli Italiam fato datae videbantur.

## CONTROV. II. De Regno Hieroſolymitano.

*Eriſericus II.* connubio *Iolantae*, *Ioannis Brennae* filiae, titulum Regis

Hieroſolymorum a ſocero, Pontifice Romano annuente, accepit. Non quidem iure belli, aut paſſione cum Saracenis inita, ſed conſeſſu beneficioque *Ioannis Brennae* titulus hic partus eſt, qui regni dudum amiſſi titulum iure gentium voluntario retinuit, atque ad generum *Auguſtum* tranſmiſit, ut non tantum ipſe, ſed etiam omnes eius poſteri ſucceſſoresque nomine et titulo regis Hieroſolymorum deinceps uterentur.

§. II. Moribus gentium convenit, ut non magis utilitatis, quam dignitatis ſuae rationem inquant, et iura titulosque ſuos, quoad poſſunt, tueantur.

§. III. *Maroboduſ* regno extorris, et inter ſpem metumque dubius, fortunae caſum infra ſe duxit, titulumque Regis praefenti et erecto animo ſervavit.

§. IV.



§. IV. Auctoritas imperantium tam sancta, quam perpetua esse debet, sed ea detractis per iniuriam titulis, convellitur, et indigne violatur.

§. V. Non committendum est, ut tituli ex iusta causa quaesiti omittantur, quibus iura provinciarum retinentur, atque in successores transferuntur. Qui enim illos usurpare pertendunt, iusta ratione suam tuentur causam, et provincias per vim ereptas, sane reposcunt ut suas.

§. VI. At e diverso Saraceni non in rationum argumentis, sed in armis praesidium causae suae collocabant, et regni Hierosolymitani possessione nitebantur, titulum regni dudum erepti pro simulacro habentes.

§. VII. Quae res ita decidenda est, ut nihil contra fas, et praeter aequum affirmetur. Etenim tituli regionum amissarum per se non sufficiunt, nec soli dant repetendi ius, praesertim contra eum, qui iure belli et diuturni possessione temporis causam tuetur. Nec vero pondus habet titulus, nisi titulo utens cum evidenti sufficientique signo se applicaverit ad repetendum; quod omnino hic requiritur, nec abesse potest, nisi forte tituli, quatenus rei gestae monumenta, retineantur. Brenna, fateor, titulum regni Hierosolymitani continenter servatum, successione continuari voluit, atque hoc signo recuperandi animum declaravit. Sed eius successores, si unum atque alterum excipias, non perinde, ut haec causa postulat, se gesserunt, et ius utique hoc pro derelicto habuerunt. Fontes historiae perquirendi sunt apud *Fazzellum decad. post. lib. VIII. cap. II. et Sigonium de regno Italiae lib. XVIII.* Cernitur hic ira divinius, quae superiorem Normannorum ferociam vindicavit in posteros, atque eorum potentiam per Hohenstauffios memorabili ultionis exemplo delevit.

### CONTROV. III. De Casu Conradini.

Conradinus, Conradi Regis Siciliae verus legitimusque filius, et annos octo ac viginti natus, A. M CCLXVIII. a Carolo Andegavensi victus et captus, hortatu atque instinctu Clementis IV. Pont. Neapoli est supplicio affectus.

Non deferenda Conradini regis causa est, quae iure stirpis, et supremae voluntatis Conradi IV. firmatur, quod etsi interceptum Manfredus, tamen, patrata huius caede, non expiravit, sed in sanguine primae acqvirentis fixum ac stabile permansit.

§. II. Regnum a maioribus bello partum, et iusta successione delatum, nemini, citra delictum, ne a superiore quidem auferri potest. Non oportet negligi honorem Conradini, quem ius omni culpa absolvit, adeo ut Pontifici non liceat in eum statuere ullum poenae exemplum, quo avita regni possessio ipsi adimatur.

§. III. Quare cum veniret Conradinus ad capiendam regni huius possessionem, nihil iniuste faciebat, nec fraudi id erat Pontifici, sed iure suo utebatur.

§. IV. Si maxime autem Pontifici ius sit in Siciliam, ita ut ad eum lege summi



mi domini spectet, eiusve beneficio regnum accipiatur et agnoscat, non tamen ideo consequitur ius statuendi de capite Regis, titulo beneficiario possidentis.

§. V. Nec quidquam Conradino obiici potest, quod idoneos auctores habeat, quodque eiusmodi sit, ut propterea regni successione indignus habeatur. Non enim Conradinus fovebat coniurationes, sed manu et armis ius successione ad se delatum tueri cupiebat, tractisque in sententiam sociis et subiectis, nihil a iure gentium, nihil a more belli alienum faciebat.

§. VI. Victoria Andium duci parta ius in Conradini vitam non dabat, cum quod bellum contra iustum regni heredem esset susceptum, tum quod aliud suppeteret securitatis remedium, si victus iurata cessione victori caveret. Nam rationi et consuetudini moratorum, praecipue Christianarum, gentium adversatur ista severitas, rigorque statuendi in victum et captum, qui nervis potentiae incisis, nocere non potest. Exempla in promptu sunt apud Barbaros, sigillatim Saracenos, et Turcas, qui captos Christianorum Principes, soluto pretio militari, et promissa cessione liberarunt. Id quod testantur exempla *Ludovici Sancti*, et *Caroli*, captorum a barbaris, ac sub conditione lytri solvendi, et erepta restituendi dimissorum.

§. VII. Neque vero tam stricto belli iure agendum, ubi temperamentum et humanitas praecipue laudantur. Nimia est severitas, quam coeca regnandi cupiditas rapit, et atrocitate miscet.

§. IIX. Carolus armis causam disceptans, id sibi sufficere putabat, quod a Romana sede, ad quam iure beneficii regnum Siciliae pertinet, ad illud capessendum invitatus esset. Tum quod Manfredus, Rege Siciliae caeso, ius potestatemque in regnum istud belli titulo consecutus fuisset. Adde quod pari et eodem iure, quo Manfredus, uteretur; iste autem Conradino praeripuerat regnum, quod sibi auctoritate Pontificis accito, nihilo secius licere existimabat. Necdum accusandi modus erat, quum arguebatur Conradinus, quod coniurationes fovisset, totamque Italianam adventu suo perturbasset. Extremo quod fortuna belli in potestatem suam venisset, et simul ius in vitam eius obtinisset, atque adeo de Pontificis sententia poenam capitis ipsi irrogasset.

§. IX. Iudicium huius controversiae expeditum est, si auctorum rationes ex *Fazelli* et *Collenutii* monumentis recte deprimantur. *Lucius Marineus Siculus*, et *Auctor* rerum ab Aragoniis Regibus gestarum adiungi possunt, ille in libro XI de rebus Hispaniae, hic in iudiciis lib. II. Profecto iniuste actum est cum Conradino, legitimo Siciliae herede, cui ius sanguine quaesitum sine suo delicto eripi non potuit, maxime ob primum acquirentem Henricum VI. Hoc, collatis rerum argumentis, liquet, ac idoneis acquirendi modis, bello et pacatione approbatur. His nitebatur Henricus sextus, et ipsius consensu Pontificis erigebatur ad ius persequendum. Praeterea Conradinus testamento patris Conradi firmatus, retinebat animum domini, quem et declarabat adventu, et sumtis armis palam indicabat, Manfredi faci-

nus



nus non pertinebat ad exemplum, et in tantum quoque dissimile erat, in quantum Friderici II. filius, saltem nothus, erat. Carolum nulla talis necessitudo coniunxit eum Hohenstauffis, et erga hos etiam praebuit se ingratum. Pontificis in regna potestas maiori elogio, quam iure celebrata est, neque eo valuit, ut supplicium de Conradino sumeretur. Ista autem crudelitas inter Christianos inaudita est, quam barbari quoque non exercent in victos Christianorum Reges, et more atque exemplo averfantur.

### CONTROV. IV. De Regno Siciliae ad Aragonios delato.

Petrus Aragoniae Rex, a Siciliae Ordinibus ad capeffendum regnum invitatus, re aliquandiu deliberata, cum classe in Siciliam profectus, insulam hanc suae ditionis fecit.

Iure suo utebatur Petrus, quod repetebat a Manfredi filia, quam in matrimonio habebat, atque eius causa regnum, quod uxorio iure defertur, sibi vindicabat.

§. II. Virili genere Hohenstauffiorum extincto, nemo propior heres erat, atque Constantia, Manfredi Regis Siculi filia, quae maritum assidue instigabat, ac obnixè monebat, restitueret sibi regnum, et redderet regno libertatem.

§. III. Conradinus, verus legitimusque regni heres, cum ad supplicium deposceretur, Fridericum amatae filium signo chirothecae demonstratum, regni heredem appellavit. Haec tessera regni a Conradino traditi, iurisque translatae symbolon ad Petrum Aragonium pervenit, ut testimonio Pii Pontif. *Collenutius* evicit.

§. IV. Carolus Andegavensis erat regni illius invasor, non iustus possessor, nedum heres, quem praeveniri, et ius Constantiae connubio quaesitum repeti sano oportebat.

§. V. Gloriosum pariter et utile fuit, ulcisci socerum, cui tam iniuste, quam crudeliter regnum Siciliae ereptum erat.

§. VI. Pro Carolo Andegavensi adducebatur sententia Pontificis, qui regnum iure caduci repetebat sedi Romanae, Galloque tradebat. Item belli titulus, quo ius a Pontifice traditum hic defendebat, nec per insidias Regibus indecoras, sed aperto Marte causam hanc agebat ac tuebatur. Tum vesperae Siculae a Petro Aragonio instructae sempiternam labem auctori aspergebant, quando regnandi cupiditate incensus, non tam bellum, quam scelus in animo agitavit, et immanis atque inaudita caedis patranda impulsor extitit, ut hoc veluti pignore consumptae Gallorum gratiae firmatus, auxilium tanto promptius securiusque ferret.

§. VII. Quod componendae huius controversiae interest, observare licet, multa inter hostes ultro citroque fuisse gesta, quae excusari non possunt, nec debent: potestque iusta esse belli causa, quum legitimus belli modus non servatur. Neque inficior,



ficioꝝ, vespertas Siculas, quae die Christo resurgenti sacro evenerunt, non tam hostium, quam percussorum documento esse posteris, cum in bello etiam belli iura non sint ullo tali scelere polluenda. Auctorem vespertarum communiter ferunt Petrum, atque inter hos *Berthaut Flor. Gall. lib. III. cap. 25.* In quo tamen ceteri, et auctorum periti scriptores ei non assentiuntur. Ex Fazello constat, Siculos designasse hanc caedem, ut Petrum fidei suae prudenter diffidentem, de odio in Gallos irreconciliabili certioꝝ redderent, apud quos nulla gratiae spes futura esset, si tale tantumque facinus patrassent. *Decad. post. lib. VIII. cap. 4.* Illa autem coniuratio, duce Ioanne Prochyta, coepta est, cuius extat epistola ad Martinum Pontificem, qua mores Gallorum Siculis invisos perstrinxit, apud Ioachimum Camerarium *Op. subcis. cent. III. cap. 89.* Ipse Pontifex Clemens in literis ad Carolum perscriptis conqueritur, affligi vexarique incolas, et quamobrem id Rex fieri sinat et dissimulet, miratur, ac Regi odia perniciosamque his rebus consistari, non fallus augur praesagit: extant in *Hispania illustrata Tom. III. indic. rerum ab Aug. Reg. gest. lib. II.* Imperium externum per se populo, difficili et vario, grave erat, mox propter avaritiam, rapinas, libidinem, insolentiamque exosum reddebatur, ut inuito defectionis consilio, omnis culpa in praefectorum vitia transferretur. Lucius Marineus tradit, ad Petrum venisse Siculorum legatos, et regni capessendi fuisse auctores, quorum voluntate perspecta, occasionem minime negligendam putavit, *lib. XI. de reb. Hispan.* Dicebant Siculi, tumidos externae gentis spiritus, et profligatos mores, actionesque prorsus immoderatas, et impetus praeteroces, ac deinceps non ferendos, sola Pontificis voluntate, et traditione regni ab eo facta, non posse purgari, necius inde stabile et solidum arcessi. Negabant regnum pertinere ad sedem Romanam, et regni leges, procerumque voluntatem, et ipsa necessitudinis iura ad conficiendas defensionis suae rationes afferebant. Non est, cur addam, Petrum a Conradino praelatum esse Carolo, et traditione signo facta pro successore habitum, cuius iudicio prorsus atque omnino sit standum. *Vid. Mart. Crusius in annal. Svec. dod. III. lib. II. part. III. cap. 17. seq.* Illud certe hinc patet manifestumque est, Deo invisum esse genus Principum, qui per caedes et ruinas ad magna imperia grassantur. Inter exempla sunt Henricus VI. et Carolus Andinus, quorum iste Rogerium indignè habuit, contraque promissi et pacti fidem regno, libertate, oculis, genitalibus privavit. Postea Manfredus contra sententiam Conradi, contraque testamenti et successionis ius, regnum Conradino praeripuit, eoque sublato, ultrix Dei providentia novum Conradino aemulum excitavit, totamque eius familiam deleri permisit, cum hoc agerent Pontifices, ut Hohenstauffi ab utilitate sua alieniores excinderentur. Demum Caroli potentiam colore tyrannidis evertit Petrus, ut alii ad alios opprimendos, aperto coelestis irae indicio, excitarentur.



## CONTROV. V. De Ottogaro Imperium recusante.

Premislaus Ottogarus Boiemiae Rex oblatam consequendi Romanorum Imperii occasionem imprudenter omisit.

Negligentis est praetermittere, quod firmandae augendaeque potentiae expedit, ne erepta crescendi materia, et occasione neglecta, poenitendi causa relinqvatur, cum in parandis et retinendis imperiis cautione opus sit, nec nisi semel ibi peccare liceat, ubi error admissus emendari non potest.

§. II. Splendoris quoque ratio habenda est, cuius accessio saltem non debet recusari, quando auctoritatis et famae interest, cum viribus augeri opinionem regnantium, in quorum partibus, salva imperandi gloria, nihil desideratur.

§. III. Nemine repugnante Ottogarus in fide et officio retinere potuisset Austriam, Stiriam, Tirolim, siquidem Imperium suscepisset, atque eas provincias ad domini beneficiarii legem redegisset, cum, repudiata Margaretha, titulus uxorius non admitteretur, nec multo post a Rudolpho Caesare ius caduci obtenderetur, et voluntate iudicioque Principum comprobaretur.

§. IV. His rebus aemulationi Habsburgiorum praecidere occasionem, et bello deinceps gerendo, civilibusque dissidiis subtrahere materiam potuisset, si Rex, ut par erat, accuratori solertia consilium tam utile, quam opportunum confecisset.

§. V. Exemplum Alphonsi X. ante oculos est, cui vitio datur, quod mora inutili corrupisset fortunam: contra Petrus Aragonius praeventendum ratus, regnum per bellum et pericula petiit, quod Ottogarus sine labore, et sine vitae honorisque discrimine potuit adipisci.

§. VI. Dissensus his rationibus continetur, quod tutius sit, firmam, quam amplam auctamque rempublicam habere: deinde quod turbidus temporum status moderationem postulasset, et spem adeo conatumque explendae huius cupiditatis fregisset. Tum quod isto pacto regnum domesticum atque haereditarium, propter imperium externum, et in solo eligentium arbitrio positum, facile in discrimen venire potuisset. Quin et sic impendia, et sumtus ex domestico Boiemiae regno in externum, et successione haud continuandum converti oportuisset. Postremo rationes et momenta Ordinum Boiemiae id dissuadentium minime negligi, multo minus sperni debuissent.



§. VII. Quae lis ut dirimatur, omnino prudentia regendi spectanda est, quae mensuram huius iudicii implet. Ottogarus negligenter omisit occasionem potiundi Imperii, quo fidem et amorem Germanorum sibi devincire, regnumque alienis copiis opibusque firmare potuisset: quod iamdiu Austria non sine aemulorum invidia bene feliciterque usu probavit. Nam etsi regnum Boemiae, per se satis auctum erat, tamen insigne quiddam ad regni decus et gloriam pervenisset, roburque maius et firmamentum potentiae accessisset. Praeterea id fuisset utile malorum remedium, et Boiemiis regnum clientelare possidentibus publice privatimque bene evenisset. Pollebat viribus Ottogarus, et potiori ratione imperium suscipere poterat, quam Rudolphus, Comes per se moli tantae impar. Sed Boiemi timor inanis, et invidia mali exempli fuit, ac magnae deinceps regni huius conversioni profuit, cum negligeret novum dignitatis et potentiae praesidium, quod offerebatur. Equidem Ottogarus Carolum Andegavensem ad caedem Friderici Austrii Babenbergii exhortatus est, ne patrimonium absentis ereptum, redituro deinceps restituere cogeretur. Quare Deus, scelerrum ultor, mulctavit postea Ottogarum, et consilia eius confudit pariter ac corruptit; Habsburgios autem nutu arbitrioque coelesti ad summam rerum capessendam peraulpicato excitavit. *Vid. Venceslaus Hagecius Chron. Bohem. ann. 1271. et Ioannes Dubravius histor. Boemicae lib. XVII.*

## CONTROV. VI. De electione Adolphi Nassavii.

Adolphus Nassavius prensando Imperio praecipis, et administrando non cautus fuit.

Adolpho quidem veniebat in mentem Rudolphi Habsburgii, Comitis a tenui initio ad summam potentiam evecti, quod facile eum movebat, ut ad spem similis fortunae erigeretur.

§. II. Principes Imperii praecipuos, quibus Caesarum eligendorum ius est, a filio Rudolphi Habsburgii, alieniores videbat, idque sibi prodesse indicabat.

§. III. Ius ei suffragiis quaesitum est, quum Principum eligentium voluntates in eo designando et renunciando consentiebant.

§. IV. Rationes, et querelarum capita contra eum adducta nihil momenti habebant ad adimendum ipsi Imperium, quod rite electus creatusque esset. Solemnia anno MCCXCII. peracta sunt Francofordiae ad Moenum.

§. V. Contra svaderi poterat, Imperium tantae molis excedere vires ipsius, cuius nervi, ab alienatis imperii vectigalibus, incisi essent: ad haec Comitem,



tem, non suis opibus nixum, tot tantisque bellorum sumptibus imparem, non resistendo fore aemulis, quos in Austria, et magnis valentibusque Principum familiis haberet; Rudolphi Comitis felicitatem singularis esse exempli, nec pertinere ad quoslibet successores.

§. VI. Quae res ita confici potest, ut statuamus, Imperium ei fuisse recusandum. Ex capite iuris equidem nihil impediēbat, quin Nassavius suscipere Imperium, sed quum ratio prudentiae reddenda est, non accurate subduxit calculos, et errore admissio, rationes manifesto perturbavit. Etenim non habebat, unde faceret impensas, tuendae dignitati suffecturas, eaque ex causa magnam sustinebat invidiam, et acerbis passim sermonibus arguebatur, quasi ab Anglis stipendia acciperet, et venalem bello operam navaret. Statim ut Imperator renunciatus est, invidiosam conatus sui fiduciam intellexit, neque aë alienum dissolvere potuit, nec turbas discordiasque auctoritate sua extinxit, sed incendit magis. Novae post offensae initium fuit, cum Adolphum incesferet cupido habendi, et Principes iure suo tutos laceffendi. His rebus ad malas artes conversus, nec famae consuluit, et pacem quietemque turbavit. Sed appetens alieni Caesar, maiores excivit aemulos, et imperium vitamque in agro Vangionum amisit. In quo etsi moderationem requirimus, non tamen id eiusmodi fuit, ut propterea Imperium ipsi iure eriperetur. Violanti pacta, occupanti aliena resistere licebat, et negare obsequium: Imperio exuere nimium, vel maxime ob actiones plerasque iniustas et indecoras. Capita accusationum videri possunt apud *Siffridum Presbyterum an. MCCXCVI. Conf. Albertus Argentinensis in Chronico an. 1298. Conradi Vrspergensis supplementum,*

## CONTROV. VII. De postulato Alberti Austrii, Vectigalia ad Rhenum vindicantis.

Albertus I. Caesar vectigalia ad Rhenum a superioribus Caesaribus abalienata repetere voluit, recte, an secus, sententiis variatur.

Quorum mentes cum Alberti voluntate consentiunt, eorum rationes omnino veri speciem habent. I. Quod iura imperii cum Imperio Caesarum necessario et perpetuo cohaereant, et ita inter se coniuncta copulataque sint, ut distrahi divelli que non possint. II. Quod superiorum Caesarum negligentia sibi non debeat esse fraudi, cum necessitate rerum et temporum multa saepius tolerantur, quae iusta ideo non habeantur.

§. II. Quod si aliquid contra sit factum, id omne irritum fieri oportere, propterea quod contra ius sit factum. His fere argumentis movebarur Austrius,

Sss sss 2

strius,



frius, et Antistites ac Principes Rheni accolas commonebat, caverent sibi, et fugerent periculum, neque incurrerent in offensam atque indignationem suam.

§. III. Pro causa Antistitum et Principum adduci potest patientia superiorum Imperatorum, et diuturnae possessionis titulus, qui firmum constituendi domini praesidium largitur. Hinc reposcenti vectigalia Alberto respondent, et longi temporis possessionem obtinent, eamque sine cuiusquam interpellatione et contradictione tranquillam pariter ac firmam retinuisse affirmant.

§. IV. Haerent quidam et impediuntur, cum in huius rei disceptationem ingrediuntur. Sed mihi certe ratio constat, quamobrem ad Principum sententiam me traduci patiar, quippe quibus cordati omnes assensum praebent. Standum est iudicio prudentum, et ingenue affirmandum, reditus et vectigalia Imperii dari posse pignori, et omnino etiam abalienari, nisi contrarium lege Imperii cautum dispositumque sit, quamvis et huic longa deinceps consuetudo, et usus adeo contrarius, et impetrantis patientia derogare possint. Imitatur quidem respublica pupillum, et semper in integrum restitui potest, siquidem privilegia dolo malo impetrata sunt, quae rescindi publica utilitas suadet. Alia in praesens quaestio est, alia in praesenti quaestione ratio versatur, quippe quae nulla fraude et dolo, sed patientia et derelictione Caesarum nititur, atque adeo hinc sequitur, summam propter diuturnam, nec interruptam possessionem usucapi potuisse. *V. Monachus Colmariensis, cuius fide nunc stamus, in Chron. p. alt. p. 61. Vrsifianae edit. Quod alioqui pervulgatum, atque in historia Coroli IV. copiose et ex instituto tractatum recorder. Iam se obicit difficultas perrecturo ad Livoniam, et ad rem causamque Erici Sueonum Regis, Esthoniæ Revaliamque in fidem accipientis, et cum aliter a praesenti periculo defendi non possent, in ditionem suam perauspicato redigentis, immanesque Russorum impetus maturo consilio, et idoneo rerum apparatu avertentis. Sed quia tempore excludor, publice experiar, quid eo in argumento possim, nec modo eius Regis, sed etiam Gustavi magni, Rigam*

*Livoniae caput, deditioe capientis, victriciaque arma per universam*

*Livoniam circumferentis, iustitiam idoneis firmisque rationibus tuebor.*